

DE LINGVA LATINA DIEBVS NOSTRIS DOCENDA

Orazio Antonio BOLOGNA

Clarissimis mulieribus et doctissimis viris praesentibus et acerrimis animis audientibus quid de Romanorum sermone cum a professoribus tum a linguae Latinae cultoribus, exponatur et disputetur, hac tempestate silentio praeterire non possum quin patefaciam, quid de re sentiam ipse. Ceterum quam magnum in me Romani sermonis studium sit, neminem profecto fugit, cum in commentariis, qui Latinitas inscribuntur, legat quod una cum innumeris litterarum Latinarum cultoribus scribam ipse.

Quibus prolatis, iis omnibus, qui hunc conventum, cui praeclari viri et doctissimae mulieres intersunt, magna cum sollertia comparaverunt, plurimas et maximas gratias ago. Utinam eiusdem generis conventus, haud secus ac ille, qui paucos abhinc menses in media Finnia celebratus est, in ceteris Europae nationibus reparentur. Conventus Finnici Thomas Pekkanen, cuius doctrinam atque humanitatem omnes miramur, praeclarus praeses et sollers apparator fuit. At pauci tantum, cum contraria tum adversa fortunae tolerantes, id audent et conantur.

Cum autem mihi de lingua litterisque Latinis agendum sit, praeterire non possum quin Vergilium, omnium Romanorum clarissimum et doctissimum poetam, memorem quodque praeterea auxilium clarissimus ille vates cum professoribus tum praesertim discipulis, cum litteras litterasque Latinas discere velint, praebeat, paucis absolvam. Vergilius enim, ut inter omnes satis constat, non solum ab antiquis verum a recentioribus etiam hominibus semper est plurimi ductus: tam multis enim saeculis praeteritis, hominum animos et mentes operibus suis candida luce adhuc replet frigidoque recreat rore. Ad tantum limpidum fontem omnibus temporibus doctissimi

poetae biberunt et illis lymphis e frigidis nemoribus et inaccessis rupibus prosilientibus Musam suam aluerunt et carmina ditaverunt. Ceterum si quis acriore animo eorum carmina legat, quam multa verba et exempla a Vergilio deprompserint, profecto inveniat. Praeter Vergilium, cuius auctoritatem omnes docti plurimi fecerunt, ceteri quoque poetae Romanorumque scriptores cum poetis tum artificibus et Italicis et Europaeis profuerunt, eorum animos prudentia sua aluerunt: silentio enim praterire non possum quin, exempli gratia, Dantem Allagherium, Franciscum Petrarcham et complures illos poetas rerumque scriptores, qui, lingua Latina eleganter usi, inde a renatis saeculo XV litteris usque ad auream illam aetatem, qua Didacus Vitrioli et Ioannem Pascoli in certamine Hoeufftiano pluries victores discesserunt, mira condiderunt opera, quae nostris quoque temporibus cum discipulis tum professoribus magno auxilio sunt. Neminem profecto fugit quam sint clari Iovianus Pontanus, Antonius Panormita, Angelus Politianus et innumeri alii, quorum carmina mirabundi legimus. Hi omnes Vergilium et ceteros Romanorum scriptores magno coluerunt amore, ut eorum camina, occasione data, memoriter proferrent et recitarent. Haud infrequenter, ut omnibus satis constat, Vergilii versibus ceterorumque verbis usi sunt.

Quibusnam de causis omnibus lingua Latina discenda et colenda sit, quoad possim et liceat, omnibus faventibus, paucis absolvere conabor. Ceterum haud ignota locuturum sum et id unum fore ut neminem vestrum taedio afficiam spero. Si contra, me invito, id eveniat, veniam mihi loquenti aequo animo date.

Neminem autem nostrum, ut videtur, hoc fugit vel latet: linguam et litteras Latinas prima et praecipua scientiae et eruditionis principia continere et tradere; easdem praeterea ut antiquorum virorum animos ditasse ita nostris quoque temporibus ditare posse; auctores Latinos denique, cum res adversas et secundas, libertatem et dominatum, bellum et pacem experti sint, quomodo damnum vitandum bonumque consequendum sit, homines nostrae aetatis adhuc docere. Quorum opera, sive carmina sive praesertim orationem solutam, quomodo concipiendum et tractandum sit argumentum miris et claris exemplis patefacere; eosdem deinde quomodo homines, arte intelligendi et argumentandi usi, comprehendant adversariorum argumentationes, quibus ratiocinationibus et interrogationibus refutant, pluribus in locis ostendere; eosdem denique ubertatem et quasi dicendi silvam praebere. Ideo lingua et litterae Latinae optima

sunt palestrae, in quibus ingenia exercentur, animi vires roborantur, mentis acies acuitur, fera cordis indoles mollitur, artes aluntur, memoria augetur. Memoria enim, ut accepimus, minuitur nisi eam exerceas. Temporibus quoque nostris una voce damnatur qui discipulorum memoriam cotidiano usu atque exercitio exercet et firmiorem facit. Haec praeterea nobis hic est consideranda: linguam Latinam haud multos abhinc annos, ut saepius memoratum est, non solum Europae nationum verum etiam complurium orbis terrarum populorum sermonem fuisse. Cuius enim utilitas, gratia, venustas rerumque denique verborumque comprehensio haud paucos populos, qui lingua, institutis, moribus et legibus differebant, in unam eandemque magnam congregavit civitatem, cuius cultum atque humanitatem homines adhuc plurimi ducunt.

Cum autem haec callidi adsentatores compertum habuerint, ut hominum genus barbarum ac rude sine ulla difficultate regere possint, litteris Latinis e scholis sublatis, studia faciliora in dies faciunt. Qua quidem de causa fit ut adulescentes, lycio quoque classico expleto, maxima cum difficultate quod legant comprehendant, e vestigio exponant. Ideo complures discipuli, qui nostri sunt iuvenes, immo liberi nostri, ad studia difficiliora persequenda, praeter paucos, qui necessariis sunt praeceptis imbuti, amplius idonei non sunt. Quod, ut planum est, nobis omnibus non solum magno dolori verum etiam dedecori est. Rerum omnium optimam amisimus, magis magisque in dies amittimus.

Quid ergo faciendum sit, ut discipuli nostri tantum malum vitent, ex me fortasse quaeritis; sed neminem nostrum quid faciendum sit profecto fugit. Qui, rebus adversis fugati non victi, cum liberis nostris tum discipulis non solum cultum atque humanitatem sed etiam doctrinam atque eruditionem omnimodis tradere conamur. Quam quidem causam, cur ad hunc conventum innumeri convenerimus, esse puto: ut nosmetipsi cuius rei maximum testimonium perhibeamus. Ceteris argumentis praetermissis, ad linguam Latinam reverti contingit.

Professores autem, ut discipuli linguam Latinam statim diligant eiusque pulchritudinem nec non utilitatem percipiant, ipsi primum Romanorum sermonem, si eundem vere noscant vereque diligant, a primis acroasibus adhibeant. Neminem enim nostrum fugit, quam pauci sint professores, qui linguam Latinam vere noscant et diligant. Complures tamen eorum, dictu pudet, non solum eam

ignorant sed parum etiam utilem esse dicunt. Ipsi praeterea verbis et exemplis faciunt ut discipuli, cum in eundem propositum venerint, Romanorum scriptores eorumque opera incredibili odio afficiant. Isti professores, ut mercedem annuam habeant commodeque vivant, linguam Latinam docent. Adversus quam ab ipsis acriter pugnatur, quibus illa, si paulum tantum diligeretur, defendenda esset.

Optimus contra professor in omnibus discipulis cognoscendi studium auget suaque quidem auctoritate fisus, quam discipuli percipiunt et magna admiratione statim afficiunt, eorum animos et mentes miris antiquorum exemplis in dies incendit; immo maximum eruditionis et doctrinae exemplum, quod adulescentes sequantur, ipse profecto fit. Discipulis enim exemplis opus est.

Discipulorum igitur animis doctrina atque auctoritate subactis, Vergilii ceterorumque poetarum carmina memoriter pronuntiet et hortetur, ut discipuli quoque, quamvis nihil vel parum comprehendant, idem faciant. Constat enim omnes adulescentes, puellas prasertim, se poetas habere: nullus enim est discipulus qui ullum umquam carmen se condidisse neget. Qua re cognita, professor, discipulos hortetur ut Romanorum poetas legant eorumque versus, si pulchriora carmina contexere velint, memoriae mandent. Ex omnibus Vergilianis locis illi magis idonei putantur, qui adulescentium ingenium movent et sensum sollicitant. Quis nostrum, vel Troiae vel Priami vel Didonis casibus lectis, a lacrimis temperare potuit? Et Catullus, quem adulescentes, nec immerito, ceteris statim malunt, potioem locum obtineat: Veronensis enim eloquium et oratio mentes subigunt, animos vinciunt, ingenium movent, sensum sollicitant. Eius carmina discipuli legant et memoriae mandent et professor, nulla rei grammaticae morma quaesita, optimum quemque laudet, eundem discipulis proferat ceterosque hortetur ut illum vincant.

Optimus autem professor, cui doctrina cordi sit, discipulis omnibus, pigris quoque et ignavis, ut innumera verba et complures cum poetarum tum oratorum locos memoria mandent, magna cum sollicitudine persuadet eosdemque ut Latine loquantur pedetemptim usurpat. Ad id vero obtinendum optimum quemque praemiis et laudibus exornet et, certaminibus constitutis, faciat ut alius alium superet. Discipulis enim nullo impedimento est, quominus memoriae mandent primum artificiosae verborum conclusiones, quae, cum breves et faciles sint, mentes ditant et argumentorum materiam praebent, postea una cum aliquot locis Vergilianis perfectos

completosque verborum ambitus discant, ut magnum verborum numerum in promptu habeant. Ut competitorum animos moveat, professor discipulos hortetur, ut ipsi quoque, illis verbis quae didicerint usi, aliquid scribant et id velut exercitationem exhibeant. Hic enim ab omnibus haec, cum utilia et necessaria putentur, memoria teneantur.

Cum autem linguae Latinae cursum conficiat, optimus professor, qui paucis post diebus unumquemque discipulum bene novit, diligentiores colat et negligentiores, quibus praeter ingenium et ceteros nec non professores propositis suis fastidire nihil est, parum curet: indignum enim et iniquum videtur professorem, ut pigros et insolentes adulescentes excitet, magno diligentiorum damno maiorem temporis terere partem. Hoc quidem modo, mea saltem sententia, diligentiores quoque, cum nullum amplius novum sit argumentum, quod mentes sollicitet animosque stimulet seque praeterea parum esse a professoribus curatos videant, tempore procedente pessimis peiores fiunt. Hoc enim consilium, quod non solum temporibus praeteritis verum etiam diebus nostris complures professores magna cum diligentia et gloriabundi se semper secutos esse dicunt, ut socordes quoque et qui ad studia persequenda minime viderentur idonei, magnis curis et ingentibus sumptibus, iisdem ad satietatem repetitis, diligentiores doctrina atque eruditione aequarent. Iniquum igitur videtur professorem diligentiores, ut negligentiores eadem argumenta discant, negligere. Si quis haec faciat, maximum in hominem facinus concipit, quoniam non iustam causam sed noxium consilium eorum, quibus ingenium populare cordi est, sequitur. Facilius enim negligentiores curare quam diligentiores altius ducere iisque nova semper argumenta declarare. Haud pauci sunt professores, qui vel ratione populari capti vel se rectum facere putantes vel denique quam minimum laboris suscipere cupientes, sollertem operam dant ut negligentiores ceteris, si quid novi discant, proponantur.

Professor autem omnibus diebus, antequam de re grammatica praecipiat, discipulos hortetur ut una voce easdem nominum declinationes verborumque coniugationes pluries repetant, donec nullo labore memoriae mandent. Discipuli vicissim usu cotidiano et exercitatione efficiant ut paucis post diebus et declinationes et coniugationes discant easdemque, occasione data, emendate adhibeant.

Quibus perfectis, alter alterius exercitationem corrigat et cuiusdam discipuli mendum argumentum praebeat, quo professor cetera explanet et praecipuas grammaticae normas idoneis verbis et exemplis enarret enodetque. Savius et sapiens professor omnes illas vitat normas quae, cum necessariae non sint, taedio sunt discipulis. Ipse praeterea facit ut discipuli cum locorum tum singulorum verborum, si linguam Latinam discere velint, analytica curent. Quam quidem rei grammaticae partem, quae maximi momenti est, haud pauci professores, quamvis se linguam Latinam scire dicant, pro nihilo ducunt. Tanta parte eademque praecipua oblita, discipuli necessario in maximos errores incidunt et merito putant linguam Latinam maximas difficultates praebere.

Cum autem discipuli, professoris ductu, praecipua complementa memoriae mandaverint et prima inspectione intellexerint, perfaciles Caesaris Ciceronisque locos enarrant et in Italicum sermonem vertunt. Quos, si quid utile facere velit, discipulus diligens memoriae mandat.

Quibus memoriae mandatis, una cum innumeris Vergilianis versibus discipulus illas tantum discit normas, quas apud optimum quemque scriptorem invenit. Mentē pedetemptim verbis, idoneis sententiis et decerptis atque delibatis undique flosculis ditata, tempore procedente, discipulus tanta facilitate linguam Latinam adhibet, ut eadem paucis post mensibus innata nativae videatur. Quo quidem modo studium erga linguam Latinam, cum nullam difficultatem praebet, in dies crescit. Sed antequam discipuli idoneos Latinorum auctorum locos legant et in Italicum sermonem vertant, professor primum faciat ut ipsi quod illi significare voluerint mente comprehendant, deinde unumquemque cogat ut quid comprehenderit suis verbis patefaciat, denique omnes discipulos, verbis novis explanatis, hortetur ut locos in Italicum sermonem emendate vertant. Ad id obtinendum cum discipulis tum professoribus idoneis libris opus est.

Apud autem bibliopolas, innumeri inveniuntur libri, per quos auctores se linguam Latinam dilucidissime explanavisse eandemque maxima cum facilitate docere existimant et credunt. Sed multorum librorum, cum quaestum tantum curaverit auctor, molem potius quam doctrinam et facilitatem miramur. Omnes istius generis libri, cum parum idonei ad linguam Latinam sive docendam sive discendam sint, dicto citius reiciantur a professoribus, quorum maior pars, novis rebus

et argumentis capti, a librorum curatoribus haud raro decipiuntur. Complures professores contra, qui primum illos libros ob rerum argumentorumque dispositionem utiles habebant, postea, rebus et argumentis diligenter consideratis, cum experti sint discipulos nihil vel parum comprehendere, quoniam nullum ordinem servant, eosdem inutiles, immo aerumnosos magno discipulorum detrimento ducunt. Cum autem talibus utantur libris, sive discipuli sive professores in hanc communem veniunt opinionem: linguam Latinam tam difficilem esse, ut perfaciles auctorum quoque locos ipsi, quamvis omnimodis conentur, aegre comprehendant.

Hoc vero ab omnibus memoria teneatur: quo doctiorem et sapientiorem professorem eo faciliores et simpliciores esse linguae Latinae textus; linguae Latinae libros, quos professores et discipuli in promptu habeant, itineris esse initium non terminum. Bonos praeterea libros, cum sensim et pedetemptim difficultates solvant, benignos esse comites. Eisdem denique non gravosas moles, quamvis discipulis et professoribus angustias et difficultates praebeant, considerandos esse. Professorem tandem, si velit et rerum argumenta noscat, linguae Latinae textum, ceterorum omnium utilissimum et simplicissimum, discipulis praesentibus et adiuvantibus, extemplo conficere; immo textum, si Vergilii, Caesaris, Ciceronis ceterorumque rerum scriptorum libros legerit eisdemque mente contineat, ipsum professorem esse.

Tam multis verbis et nominibus, quae in quodam Vergilii vel Caesaris vel Ciceronis libro maiore cum frequentia inveniuntur, memoriae mandatis, professor aliquot post mensibus discipulos hortatur, ut libri suavitatem degustent, eloquium mirentur, doctrinam laudent, orationem percipiant.

Necessariis autem rei grammaticae normis cognitis, velut in officina, ubi unusquisque officium servat munusque perficit et ingenii et artis mirum edit exemplum, professoris ductu, per lusum atque iocum discipuli, quoad possint et liceat, novum linguae Latinae librum conficiant, ad normas explicandas nova inveniant exempla, narratiunculas conscribant. Paucis vero post mensibus, si diligenter haec omnia faciant et conquirant, omnium librorum optimum discipuli comparare possunt ipsi. Hac tantum tempestate magnae utilitati non solum professoribus sed discipulis etiam, quorum animi sunt ad studium praemiis et laudibus excitati, instrumentum computatorium est.

“Utinam haec omnia vera sint! Utinam haec eveniant” dicit aliquis. Haec omnia contra vera fiunt, si haec condiciones omnes, quae sequuntur, una singillatimque exstent: quarum una discipulis, alia professoribus, tertia libris et instrumentis computatoriis, quibus professores et discipuli utuntur, nititur.

Omnium autem inventorum, quae maximae sunt hominibus utilitati instrumentum computatorium est, quod diebus nostris potissimum obtinet locum. Idem instrumentum contra, ut ipse pluries expertus sum, discipulis, cum idem ad ludendum tantum aptum putent, maximo est damno, quoniam animos captat et mentes hebetat. Quod cum intellexissent scholarum moderatores, litteris Latinis e scholis sublatis, illud machinamentum, quo diutius adulescentes, officiis omissis, ludere possent, in omnes scholas immitti iusserunt. Quibus instrumenta computatoria volentibus sunt, ab ipsis antiquorum auctorum opera, cum ad vitae necessitates minime putent apta, externa ducuntur: quibus de causis adulescentes a prima pueritia, maxima diei noctisque parte cum instrumentis lusibus televisificis exhibendis consumpta, ignari quantum damni sibi comparent plerumque terunt. Cum autem isti callidi viri nihil pensi habeant, omnes studiorum artiumque disciplinas nec non linguam Latinam per machinam computatoriam docere putant. Ipsi denique, auctoritate fisi, faciunt ut id verum ab omnibus ducatur: eoque fit ut plerique professores, quamvis inviti, in lingua Latina docenda illa adhibeant instrumenta, quae sibi discipulisque maximo putant esse damno. Discipuli contra illis machinamentis et ludibus obstupefacti, vim aciemque intelligentiae sensim amittunt, cetera spernunt.

Cum autem isti miseri et infelices iuvenes nullum, quod imitentur vel aemulentur, exemplum inveniant, sicuti pecora illos sequuntur homines, quos diurnarii magnificis instrumenti televisifici imaginibus in eorum conspectus continenter dant et plurimi faciunt. Nostros iuvenes in viis, in foris, in autocinetis, in theatris quoque, instrumentis auditoriis auribus accomodatis, ut hebescentes illos rumores, modi qui dicuntur, audientes vidimus.

Quod ad discipulos pertinet, potissimum locum parentes obtinent, qui haud raro non solum rationem scholasticam sed etiam professores eorumque doctrinam, qua nihil peius ducunt, contemnunt: scholasticam enim institutionem nec non doctrinam et eruditionem vituperare ii non dubitant, qui numquam in scholam ingressi sunt et, incredibile dictu, nullum umquam librum legerunt.

Plerique tamen parentes quomodo sibi magnam pecuniam per fas et nefas parent dummodo dives fiant et omnibus vitae commodis fruuntur, malis exemplis et facinoribus liberos suos docent. Isti parentes, divites facti, cupiunt liberos sine ullo labore eruditionem quoque consequi posse. Non desunt enim qui, territis per patronos professoribus, praesidibus in iudicium vocatis, id per vim consequi conentur, ut liberi, quamvis rudes et indocti, cum laude probentur et optimi ab omnibus habeantur. Perpauci sunt parentes, qui litterarum Latinarum utilitate nec non necessitate cognita, una cum professoribus liberos suos hortentur, quo maiore cum studio litteras colant mentesque thesauris illis ditent, qui nec eripi nec subripi possint, neque naufragio neque incendio amittantur, nec tempestatum nec temporum perturbatione mutantur. Tales parentes, quos omnes bene novimus, quamvis coram professoribus et praesidibus linguae Latinae sive utilitatem sive necessitatem laudibus ornare audeant eiusque praestantiam ad sidera tollere non dubitent, domi tamen, necessariis et amicis faventibus, contraria liberos docent. Necessario parentum et eorum auxilio deficiente, qui pueros curant et prima principia ipsis tradunt, quod professores, cum nullam amplius servant auctoritatem, facere possint, neminem fugit.

Quibus quidem tempestatibus, quae frequentiores in dies fiunt, rei scholasticae peritia est professoribus adhibenda. Qui, potioribus Vergilianis ceterorumque poetarum Latinorum locis usi, discipulorum animos et mentes captare et, ut ita dicam, vincere possunt et, quo velint, libentissimo animo ducant.

Sed maximum temporum nostrorum damnum, quod omnes frustra dolemus et querimur, est doctrinae atque eruditionis contemptus, quem discipuli, ut laborem linguaeque Latinae molestias vitent, cum parentibus et amicis communicant. Id autem contingit, quoniam divitiae, quamvis rerum inopia complures cives turbet et pretia in dies excandescant, faciunt ut homines, plerumque rudes et artium doctrinarumque expertes, non solum eruditionem sed eos etiam, qui eruditionem tradant et doceant, vituperent et contemnant. Quae quidem diurnarii in ephemeridibus contra scholasticam rationem et professores, si forte quid mali in paedagogiis eveniat, subtiliter insolenterque scribant, omnes scimus: luctuum enim et malorum omnium causa cum scholastica ratio tum praesertim professores videntur. Cur isti ineptiarum nugarumque pessimi auctores tam vehementer optimum quemque professorem adgrediantur, cur denique

optimam quamque rationem scholasticam delere cupiant non est qui nesciat. Hoc quidem animo quomodo professores docere vel discipuli aliquid utile discere possint nullus bonus est vir, qui id prorsus ignoret, nullus est sapiens civis, qui id non intellegat.

Quomodo haec fiant, summatim absolvere contingit. Callidi iuvenum adsentatores, temporibus nostris, quibus scientia et vestigatio ob innumera inventa commodiorem in dies hominum vitam facit, non solum a litterarum studio verum etiam a physicis et mathematicis, adulescentium mentes et animos versute remouent sensimque prohibent. Isti, dummodo in civitatibus clarum nomen sibi comparent, vanis promissis subtilioribusque sermonibus adulescentium animis adulari non dubitant; ita studiorum rationes in dies vacuas faciunt, ut lycium quoque, classicum quod dicitur, amoenus fiat locus, ubi haud raro adulescens quid a parentibus domi didicerit irreparabiliter amittat.

Nostrae autem aetatis scholae, in quibus lycium classicum principem obtinet locum, peiores in dies fiunt. Quidam rerum scholasticarum curatores, ut adulescentium benevolentiam sibi concilient, primum acerrimum bellum cum Lingua Latina et antiquis auctoribus ineunt, tum faciliora faciunt studia, denique ipsi, cum nullum sit amplius argumentum, quo in rebus adversis, iuuenibus tumultuantibus, uti possint, in sollertes professores conferre non dubitant. Auctoribus, classici qui dicuntur, e iuvenum manibus sublatis, nullus amplius doctus est vir, qui eorum crimina idoneis argumentis patefaciat, rerum veritatem ostendat.

Auctores Latini contra, mentibus excitatis, innumeris clarorum virorum exemplis iuvenum animos ditant usuque denique cotidiano eosdem cogunt, ut, ipsorum mores et virtutes secuti, meliores in dies fiant, cogitate verba faciant remque tractent. Antiquorum autem auctorum operibus lectis, ad perennes sapientiae doctrinaeque fontes hauriunt et ingentibus thesauris animos ditant. Quibus praediti qui sunt, soli nec immerito divites sunt, quoniam sempiternum bonum possident, quo in hominibus nihil praestantius ab omnibus habetur. Soli enim poetas, rhetores, rerum scriptores fabulas tragicas et comicas legunt et comprehendunt. Merito ideo res et fructuosas et sempiternas possident, quibus frustra insidiae parantur. Tantis enim praediti muneribus ab adolescentia, idoneis argumentis usi, iuvenes contraria refutant, mendacia refellunt, magnas philosophiae poeseosque voluptates degustant, in rhetorum rerumque scriptorum

praeceptis sensum habent. Latinorum denique poetarum carmina tantam adhuc iuvenibus tradunt doctrinam, quantam apud nullum recentiorem poetam vel rerum scriptorem invenias.

Ideo linguae Latinae cultus atque amor, ut plerique nostrum nec immerito queruntur, in annos minuitur: discipuli enim, parentibus et amicis nec non rerum scholasticarum moderatoribus dictitantibus Litteras Latinas minime prodesse, antiquum Romanorum sermonem a pueritita despiciunt, pro nihilo ducunt. Huc praeterea accedit ut studiorum rationes, in annos magis vacuae factae, discipulorum curas et negotia leviora faciant, eorum animos in incertissimum ac desidiosissimum otium ea sollicitudine impellant, ut minima quoque onera gravissima videantur ipsis, qui maxima diei nosctisque partem ante instrumentum televisificum velut hebetes terant. Quibus quidem de causis hoc fiat, neminem profecto fugit; sed omnium professorum, perpauci tantum sunt qui, cum videant quae mala quaeque praeterea damna a callidis adsentatoribus in adolescentium iuvenumque mentes parentur vel potius quae insidiae componantur, gladiis dstrictis et sedibus relictis, quid in rebus scholasticis novatum sit, nulla interposita mora, infirment.

Nobis omnibus, qui linguam Latinam magna cum alacritate colimus, haec mirifica nunc est occasio data, ut perpaucos dies antiquo Romanorum sermone mentes aleremus. Quid hoc gratius vel dulcius nobis sit, qui Romanorum sermonem multis de causis plurimi ducimus, omnes penitus noscimus. Ideo omnes huic conventui innumeri convenimus.